

Lit. Lat.

rec. A.

1024

H. Joet. lat. rec. 1190.

PROMULSIS
PROGRAMMATUM
ACADEMICORUM
PÖETICORUM.

AUCTORE
ANDREA TSCHERNINGIO,
Prof. P.

ROSTOCHI,
Typis Hæredum NICOLAI KILII,
Acad. Typogr. M. DC. LIX.



*Nobilissimis magnaque expecta-
tionis ac spei*

**VIRIS-JUVENIBUS
MECKLENBURGICIS,**

**Musarum in Alma ad Varnum
Cultoribus strenuis & ex-
cellentibus,**

**PROMULSIDEM HANC PRO
GRAMMATUM ACADEMI-
CORUM POETICORUM**

d

**Non paucis haecenus desideratam,
petitam,**

**Certis de caussis, iisque non parvis, quas
adducere hic nihil refert, sincero ani-
mi affectu, dat, dicat, consecrat.**

And. Tscherningiu

Ad Eosdem.

**ARBORIS INSTAR EGO, quam MECKLENBURGICA tell
Haecenus in gremio fovit alumna suo.
Si negitem fructus VOBIS deberier, essem
Impius in matrem Filius in se meam**



STO ANGELORUM.

Anua lux castæ GENIORUM sacra cohorti,
A duce quæ nomen cepit habere, redit.
Huc mihi Palladii juvenes, attollite linguis
Alituum sanctos cælituumque choros.

Ite domum DOMINI, & grati benefacta referte,
Quæ pietas Samiâ lege tacere vetat,
Sit procul hinc, qui tēpla DEI sine mente frequentat,
Porcus ut immundam pulverulentus haram.

Casta placent Superis: devotam pectoris ædem
Et locus, & cœli turba, Deusque volunt.

Si grex ALIGERUM vel ob unum gaudia ducit,
Cui peccasse dolet, prô! quid omittat homo?

Si tua de nobis in cœlis festa celebrat,
Quid non in terris reddat honoris homo?

Huc mihi, Pierii juvenes, extollite linguis
Alituum sanctos cælituumque choros.

Quantus honos animæ, quod quævis una ministrû,
Quævis custodem nacta sit una sui!

Cælicolis homines curę sumus: absque ministris
His foret, accideret, quod potuisse negas.

Cum genitricis onus latitares carcere ventris,
Ventri pennipotens adstitit usque comes.

Cum primum dias venisti lucis in auras,
Antistes vitæ jussus adesse tuæ.

Cunas infantes, matris circumstetit ulnas:

Hoc presente sacrae flumine tinctus aquæ es.

Postquam molle genu cepit solidescere nodo,

Exiit te Genij provida cura tui.

Ille tuos servat suspensio lumine gressus:

Ille tuus custos, quando senecta preer

Cum luctante animâ fessos mors exiit artus,

Angelus est animæ condus, homulle, tuæ.

Tunc Suanax dices: i longum perditæ prædo:

Nil in me, Genio præside, juris habes.

Cum tonitru vastus quatiente fatiscet olympus,

Exitio terras cum dabit una dies,

Aligerum populus superâ prodibit ab arce:

Tunc facies, qualem non habet orbis, erit.

(Da Deus, ante animos, quam corpora nostra renasci

illa meas aures verberat, illa dies!)

Huc mihi, Castalii juvenes, extollite linguis

Alituum sanctos cælitumque choros.

Quod non pestilitas nostris incanduit oris,

Nec præ Memnonia tigride sæva fames:

Quod non injectis arserunt oppida flammis,

Obruque hostili templa domusque rogo

Quod nos tranquillæ delectant omnia pacis,

Et miles nondum barbarus urbe furit:

(Factum alibi, meministis adhuc: animavit Eriny

Horrida Tartareum perpete folle focum.

Cum fera gens nullo sexum discrimine truncat,

Decrepitosque secant impia tela Senes.

At non in præiens cladis mala singula coner

Pandere, plus uno singula digna libro)

Fortunæ non istud opus, quæ nulla gubernat:

A Patre cælesti munera cuncta fluunt.

Aligeri præstant Proceres, ne clade Penates
 Incestetve lues, depopuletve fames.
 Lernæam pugare Duces dicuntur in hydram,
 Visaque de bellis sunt nova bella feri.
 Mænia nostra tamen custodia publica firmat,
 Ne gladio infesto fæmina virque cadant.
 Depulit hanc rabiem superæ manus ignea turmæ.
 Perpetuum velit id muneris esse DEUS!
 Quod non eluvies homines pecudesque necavit,
 Cum non riparum margine finit aquas:
 Undique nos variis Satanas circum dedit armis,
 Quod Satanæ varii tela furoris nebent,
 Angelicæ virtutis opus. Quid homuncio præstet?
 Quod vel aquæ exoriens bulla, vel umbra queat.
 Ergo, Phœbei juvenes, attollite linguis
 Alituum sanctos cælituumque choros.
 Ante tamen GENIOS MICHAËLEM, ô corcula Pindi,
 Militiæ sacræ tollite laude Ducem.
 Decertate simul vitiis indicere bellum:
 Casta volunt Superi, nonnis; casta volunt:
 Sunt humiles animæ, cœli melioris alumni:
 Turgidus à cœli labitur arce Draco.
 Esto humilis, quicumque cupis conscendere cœlum.
 Fastus Tænarii Ditis ad antra trahit.
 Phy vestros igitur mores! phy grandia mundi
 Cymbala, queis fastu pectora tœta tument:
 Stulte, quid iste tumor, stolidæque superbia vitæ
 Proderit? est vacui corporis umbra tui.
 Agmina mille DEUM juxta, mille agmina circum:
 Cuncta Creatorem voce sonante canunt:

Unum illis & idem Deus omnibus argumentum:
Nil fuci, nil hæc concio fraudis alit.
Dispereant vestri, Pharilæa oracula, mores,
Queis pietas linguâ, pectore nulla sedet.
Qui labiis Æquum semper Rectumque crepatis,
Sed dea quæ noctis, nescio, pectus agat.
Scilicet ambitio penetravit noxia mentes:
Conscia mens vestra, est ambitiosa fames.
Mellilegas arcebis apes caligine fumi,
Et putridâ stagnat si qua mephitis aqua:
Angelus excubitor pariter fugit hospitis ædem,
Quem delinquendi fæda libido trahit.
Sic igitur sanctum semper venereris Achatem,
Ut canibus fugias pejus & angue nefas.
Huc animos vestros advertite ventris alumni,
Potandi semper quos cacoëthes habet.
Vosque gulæ Proceres, & viva cadavera, lætos
Definite adjunctâ ducere nocte dies.
Impia qui vomitis spurcæ convicia linguæ,
In patriis Erebi scommata nata focus:
Qui sæpe obscæno temerasti carmine Musas:
(Gentibus heu quantum dedecus illud erat!
Roma vetus calamos fartasque cupidine chartas
Usque Tomitanos jusserrat ire sinus.
Talia nunc iterum rediviva volumina cernas
In Christjanorum, prô pudor! ire gregem!)
Angelicos arces à tanta sorde Ministros:
Nec tibi, cum scribis talia, Numen adest.
Emendate nefas, pravique cupidinis ignem,
Si curæ est animæ non peritura salus.

Tu verò ter-sancte DEUS nos usque tuere
Præsidio, solus quod potes omne, poli.
Qui ductoris eget talis tantique, labores
Promovet incassum, quos meditatur, homo.

GRATULATIO

D. JOHANNI GEORGIO
DORSCHEO, Theologo &c.

Cùm ex Athenis Trebocum in Al-
mam ad Varnum evocatus Rostochi-
um jam ingressus esset,

Rectoris Magnifici & totius Reverendi
Consilii nomine facta.

Silicet hoc unum, Pacis post fœdera, restat,
Consilii & re velificare Scholis.

Nam vastata gemunt passim Sacraria Phœbi,
Præreptasque truci Marte queruntur opes.
Mars pereat, quo cuncta ruunt! pax floreat Orbe!
Pace vigent aris jura, vigentque focis.
Gratia sit superis! pariter redimita revisit
Pax oleis HENETI rura beata soli.

Urit ab integro CELSOS ea cura DYNASTAS,
Pristinus ut studiis restituatur honos.
Exemplo, DORSCHEE, tuo res vera patefcit,
Quando Rosas gemino Principe motus adis.
Deseris augustam, fatis auctoris, urbem,
Et MECKLENBURGUM præposuisse juvat.
Pone pedem nostris felici fidere terris,
Quâque venis, lucem candida gemma notet!

Expectatus ades, gratantis cerne Lycéi
Signa, juventuti gaudia nata nota.
Formandę huic facilem te siste, merebere laudem
Fac similes multos, quod potes, esse tui.
Nos inter, pariles jungat Concordia nexus,
Duret & ad finem cana tenaxque fides!
Exoptatus ades: salve, Vir maxime, salve,
Demeriture homines, demeriture deos.
ARGENTINA tuo peperit sibi nomine nomen:
Expectare decus jam ROSA majus habet.
Nam satis ab sese cum sit celebrata per Orbem,
In te præterea continet ARGYROPEN.

Ad Studiosam Juventutem.

LECTORIBUS SALUTEM!

HEri deambulabam,
Diu deambulabam
Per atrium Lycéi,
Mihique pollicebar
Certoque pollicebar
Ad aureas HORATI
Epistolas HORATI
Densissimam Juventæ
Spississimam Juventæ
Frequentiam adfuturæ.
Spes vana me fefellit.
Hac parte me fefellit,
Et hac fefellit horâ.

Quot adfuisse quæris?
Tot adfuisse credas,

Quot

Quot credis esse Soles.

AMPLISSIMUM THEATRUM

Hoc mane Concioni

Animus stat interesse,

Proinde nec Lycéo

Licebit interesse,

Nec Epistolis HORATI

Licet explicandis

Per hunc diem vacare.

Jovis ad diem revertar

(Feliciter JEHOVA!)

Revertar ad Poëtę

EPISTOLAS HORATI,

Quas continere nostis,

Quas continere jurem

Sapientię medullam

Prudentiæ medullam.

Adeste tunc, QUIRITES,

Solito frequentiores

Solito faventiores:

Solito lubentiores.

Secus, ipse vos jubebit

HORATIUS valere.

Secus ipse militabo

Aliud Poëta bellum.

Adcrede, chara Pubes,

Musarum alumna Pubes,

Tempus, dies, & horas

Horas, diesque, tempusque

Ad publicam salutem

Melius

Melius locare novi.
Futura posterorum
Testabitur propago.
SIGNATE jam QUIRITES!

SCAZON

Quo

DECANUS COLLEGII PHILO-
sophici Juvenes Studiosos ad honores
Magisterii Doctorales capeffendos
publicè invitabam.

ET MARS alumnos, & suos habet Phœbus,
Sagi ille Præses; hic decus Togatorum.
Hostes utrique, & palma: sed Duci Phœbo
Nil cum cruore est, alter ille quem fundit.
Fortes uterque, & vividas suo mentes
Bello requirit Imperator, ac dextras,
Turbanque spernit semifæminatorum,
Natos Vacunæ, & oscitantis vernas,
Et cirrulos elegantis mimos.
Non sternit hostem crista, nec levis vestis:
Solà videtur res egere Virtute.

Hostem, Juventus, scire vis tuum? crede,
Nocentio rem non habes Voluptate
Ignaviaque, gloriae incubo & laudis.
Hæc, hæc Bonarum est illa Mentium pestis,
Morum Charybdis, illa pectorum Circe,
Dolosa Siren, atque criminum mater.
Hæc eruditionis omnis est labes,

Virtu-

Virtutis hostis, patrimonii Scylla.

Perisse dic, qui dixit huic Sacramentum.

Hanc ergo, Pubes, sub jugum tuum mittas
Vincasque oportet. Quo modo rogas? ferro

Nil indigebis, convocentur ad signa

VIRTUS Laborque. Primus agminis ductor

Pro laude gloriaque militaturus

APOLLO sponte se locabit in campo.

Hunc tu sequeris ipse præliaturus

Apollinaris miles, & premes hostem

Votique damnas LAUREAM reportabis.

VIRUMQUE & ARMA nos canemus, hymnumque:

EST HIC VACUNÆ VICTOR, ALTER ALCIDES!

Heroas illos, & tot Antesignanos,

Quos ardor idem jamdiu, & sitis laudum

Æternitati consecravit ac famæ,

Et æmulare, & intuere ad exemplum.

Hac mente celsas fortior Deum sedes

Fastigiumque laudis inclitus scandes.

Exempla calcar optimum Juventuti.

Non diffitemur, magna militum turba

Mentita Phœbum, & hoc latent Athenæo,

Nostrisque castris literarii lixæ,

Tenebriones, traducesque sunt Phœbi

Adulterini, noctuæque Musarum,

Cæcique turpis inscientiæ myltæ.

At nec negamus, interesse & heroos

Triariosque milites, decus Phœbi,

Florem Juventæ, patriæ renascentis.

Vernale germen; qui Deo Sacramentum

San-

Sanctumque Musis pertinaxque dixerunt;
Quos rectoris mentis indoles urget,
Ut ad theatrum sponte laudis adscendant,
Nihilque inausum in hostium sinant pestem.
Sit rara quamvis, est tamen Bonorum cohors.

Hoc & Lycæo, Patribusque Musarum
Liquet examissim. Novit illud & testatur
SOPHUM SENATUS, cujus heic vicem fungor.
Huic se probarunt hæctenus Bonæ Mentis
Non pauci alumni, Triga Candidatorum
Et nunc triumphos denuo Magistrales,
Quos promeretur, urget. Annuo votis:
Laurus parata est. Ut satis tamen fiat
Festivitati, plura nomina expecto.

Queis ergo laudis ista prærogativa,
Tres præter illos, pectus ussit erectum:
Quos alma Virtus, nobilisque commendat
Doctrina, & illa præca sanctitas morum,
Huc este, quæso. Dulce gloriæ nomen
Est in propinquo. Quisque præmium sumet
Me proxenerat. Quid moramini ambire?
Obstat pudor modestus? Ô BONI frontem,
Commasculate, conscientia Recti.
Audire plausus, consciasque Virtutum
Voces suarum, non iniquus est fastus.
Quod quis meretur, nec favore confertur
Nomen, nec auro, jure non recusarit.

Dicatis, ipsa præmium sibi Virtus
Et est, & audit? largior: sed hanc Divam
Honos procat blandus, & vel invitam.

Vestigat

Vestigat ultrò, quæ latere non novit.

Quid multa? honorem sumere indolis rectè est
Virtute partum, dotibusque doctrinæ
Non pœnitendæ; quippe, ceu vetus vox est:
Et laus secundis tertiisque debetur.

AD

POETICES ET HUMANIORIS

Litteraturæ Cultores.

literata Pubes,
Cras nec valet, nec audet
Docere de cathedra
De publica cathedra
Poëtices Professor.

Rogatis ergo causam?
Quæ causa sit, docebo.
sed forsan Hic & Ille
Mentem meam occupabit
Pro more, qui juventæ
Causabitur veternum,
Cum læpe (quod molestum est)
Mutis inanibusque
Subtelliis legatur.

Nil hujus est, Amici.
Mihi sat unus esto,
Sat tresve quattuorve,
Queis elegantiorum
Sit cura literarum.
Quod præstat, omne rarum est.

Quid

Quid ergo? non morabor
Vos amplius, docebo.

Cras nec queo, nec ausim
Docere de cathedra,
De publica cathedra.
Quidni? Vetamur ire,
Quem plurimum solemus,
Vetamur ire callem,
Qui ducit ad Sacellum
Ad editum Sacellum
Reconditæ Minervæ.

Quid somniat Poëta?
Sic forte curiosus
Non nemo mussitabit.

Bona verba quæso! dicam:
Cras plurimus frequensque
Illic & hîc equiso,
Illic & hîc agaso,
Caballus hîc & illic
Nostrum FORUM LATINUM,
Exercitûs ad instar
Examiniisque ad instar
(Mireris!) obsidebit,
Hinnitibusque equorum
Boatibusque, Musis
Fidibusque Horatianis
Forum obstrepet per illud
Quod diximus, Latinum,
Ob annuas equorum
Tunc nundinationes.

Quod si fidem negatis,
COMMILITES, Poëtae,
Spectate, si vacabit,
Spectate, si placebit,
Ipsi, greges equorum,
Turbamque Rusticorum,
Et Stentoras bubulcos,
Et Stentoras subulcos,
Quorum inficetus implet
Minnitus & boatus,
Boatus & tumultus
Totum forum Latinum.

Quis ergo, quis doceret?
Quis hoc die doceret?
Tot inter & caballos,
Tot inter & tumultus,
Tot inter & boatus,
Tot inter & subulcos,
Tot inter & bubulcos?
Ego dixerim: BENIGNE!

Quod ergo cras negatur,
O literata Pubes,
Id, annuente caelo,
Perendie exequemur.
EN DEXTERAM FIDEMQUE
TSCHERNINGIL! Valet.

ANACREON ALIUS.

Quid denuò bicolli
In monte somniavit

Poëtica

Poëtices Professor?

Edisseram, FAVETE.

Phœbus, minister ævi,

Et temperator ævi

Disjecerat tenebras

Reduxeratque lucem,

Quam filiaë Dionæ

Antiquitas sacravit.

Quid inde? ST: docebo.

Motus serenitate

Serenitate cœli,

Clementiâque cœli

Lubentior profectô

Lubentia lubente

Ad publicas HORATI

Ad utiles HORATI

Interpretationes,

Pro more, me parabam.

Octava cum sonaret,

Clamoribus replebam,

Ad nauseam, Penates,

Poscendo pileumque

Poscendo palliumque

Ocreasque linteumque.

Ferocius, minister,

Dixi: in mora periculum.

Accinctus ad Sacellum,

Quod in foro Latino

Medio foro Latino

Minervæ Apollinique

Antiqui-

Antiquitas dicavit
Morâ sine ullâ, & ullâ
Procrastinatione
Perendinatione
Velociter cucurri.

Ingressus in Sacellum
Sapientiæ Sacellum,
Verum esse deprehendi,
Quod multitudo jactat
Diverbiis, AMARE
SILENTIUM CAMOBNAS.
Rectissime, inquebam,
Diverbium Lycéo
Videtur huic quadrare.

Quid insuper, Quirites?
Præsentem adesse vidi,
Et non adesse vidi.
Quem denique? UBIQUITISTAM.

Quis ille? vah quis ille?
Quis ille Literarum
Et eruditionis
Nempe elegantioris
Sectator atque cultor?
Is est, is est, Amici,
A quo nihil notatur,
Et qui nihil docetur,
In quo ferunt Magistri
Oleum omne perdidisse.
Latè-tyrannus audit,
Latè imperat per orbem

B

Orbem

Orbem per universum:
Dominatur in Lycéis,
Dominatur in tabernis,
Dominatur in popinis,
Dominatur in culinis:
Præfectus ille caulis,
Præfectus est & aulis.
Huic filii Lavernæ
Nequam Laverniones
Crucisque Candidati
Triumque literarum:
Huic perfidi latrones,
Mæchæque adulterique
Dicam subinde scribunt.
Hujus, sed innocentis,
Pravam malignitatem,
Ante Alpha & ante Beta,
Puelluli, puellæ,
Et orbis universus
Subinde criminatur,
Reprendit, arguitque.

Hic nuper in Lycéo,
Cum promtus ac paratus,
Non pransus, at paratus
Ad publicas HORATI
Interpretationes
Accederem, repertus.

Tandem quis ille? non vos
Diutius morabor.

Qui nuper interesse

Digna-

Dignatus est Lycéo

Fuit (sed obstupesco!)

Fuit ille (deficit vox!)

Ille, ille, ille, ille, ô ille,

Qui nuncupatur, ille

Qui nominatur, ille

Ille, ille, ô ille NEMO.

Quid, quæso, cogitatis

Mihi fuisse mentis?

Linguam tamen momordi,

Domumque nauseosum,

Sed cum rubore, Vatem

HORATIUM reduxi.

Cras, cum DEO, revertar

Ad publicos labores:

Sed NEMINEM jubebo

Hinc prorsus exulare.

Præoccupate scamna

Præoccupate tempus

Vos Literarum alumni.

Huic NEMINI repugno

Subsellium relinqui.

Secus, mei Quirites,

Ab hac Horatiana

Interpretatione

Post abstinebo mentem,

Post abstinebo dextram,

Cùm scire NEMO gestit,

NEMO potest doceri.

INVITATIO
AD PRÆLECTIONES PU
blicas in Epistolas Horatii.

OCius, mei Sodales, ocius concurrite:
Ocius celerate gressus ad tabellam publicam:
Convolate, qui valetis; vera si mens augurat,
Nostra cunctorum videtur, nostra vertier salus.
Ipsa nam manus Poëtæ dicitur Tscherningii
Nescio quid polliceri. Spes bonas præsumite:
Sunt Poëtæ liberales, & deorum filii.
Imminere nostis omnes SACRA MARTINALIA,
Cum Penatibus litatur LIBEROQUE & ANSERE.
Anserum cruenta pestis, carnifex lux anserum
In propinquo est, convolemus: forte nos Tschern-
ningius

Aut ad anserum apparatus, aut ad Evium vocat,
Aut utrumque: nam profecto serviendum est tempori.
Sic, scio, pars magna dicent ad meæ intuitum schedæ.

Pax! mei Commilitones! ô Mei, veniam date:
Tale nil Poëta vester polliceri, nil habet.

Non nego, Lyæus illud seminarium joci,
Ille gaudii choragus, Cypridos coagulum,
Est quidem Vatum caballus, pennipesque Pegasus:
Unde alatur is caballus, res poetarum negat.

Jam quid anser absque vinis? anser assus, inquit?
Et quot anseres requirat, quod vel obbas Massici,

Quotque congios requirat totus ordo Civium?

Ite, CIVES, ite, mensas divitum sectamini,
Hoc die culina Vatis friget, alget & focus.

Non

Non saginandos poëtas esse, sed debere ali,
Nobiles velut caballos: sic (THUANUS testis est)
Censuit REX GALLIARUM QUARTUS olim CAROLUS.
Ut saginentur poëtæ, nullus est hodie metus,
Suppetat modo, unde alatur Dis amica natio.
Plenus est aranearum, plenus est inaniis
Sacculus vestri Poëtæ auferre scit, nil reddere.
Pectus implet: at barathrum ventris haud referciat.
Unde Liberi liquores, unde speret anseres?
Nil proinde pollicetur dentibus, nil ventribus,
Urbs licet passim celebret SACRA MARTINALIA,
Præsul ampiruet, sequatur vulgus & redantruet.

At quid iste vult Trochæ? quid scheda ista vult sibi?
Publicas Prælectiones intimare iussimus.

FLACCI EPISTOLAS, Quirites, ad perendinum diem
Denuo in scenam reducam, si videbitur DEO,
Quò satisfiat Poëtæ, summa quò tandem manus
Possit imponi labori, quem faceffit APPULUS.

Hæc erunt, Commilitones, nostra MARTINALIA.

Este Convivæ frequentes, stratus omnibus torus.
Nec rogem multis; frequentes sponte venturos, scio,
Stridulo CYCNUS canorus præferendus ANSERI est.

CUM PRUDENTII Carmen XI. Cath.
publicè interpretari inciperem.

NATALEM DOMINI cecinit PRUDENTIUS hymno,
Cujus ego interpres cras, ero, dante DEO.

Confluite, ô CIVES, auresque advertite: spirant

Cuncta polum, quæ nos ille Poëta docet.

Et cultu & numeris PRUDENTI carmina vincat

Arpinacve suis, Virgiliusve suis:

*At superat Noster Gentiles pondere rerum &
Hic est Arpinas, Virgiliusque Puer.*

AD

**POESIOS VERNACULÆ CUL-
tores, Auditores meos.**

C*Ras, quando medii processerit hora diei
Prima, meos, quæso, rursus adite Lares.
Vos, inquam, Juvenes, qui nomina vestra dedistis
Docturo patrium, sed sine labe, melos.
Discutienda prius sunt quædam digna labore,
Quàm gratum Musis incipiamus opus.
Estote assidui, sic deridere licebit
Quisquiliis Vatum, Priesche-magisterium.*

Ad Eosdem.

*Cultores Germana suos, quo sueta, POESIS,
Ut cras conveniant rursus, amore rogat.
Pila valetudo binis iniecerat horis
Nuper, & hæc, reor, est fontica caussa moræ.*

ANACREON

**UNIVERSÆ STUDIOSORUM
Coronæ in Alma ad Varnum Sacer.**

Q*uid denuò minatur
Poëtices Professor?
Quid ille pollicetur
ANACREON LATINUS?*

*Edisseram, favete,
Quid denuò minetur
Poëtices Professor,
Et quid Latinus ille*

*Anacreon Latinus,
Ab integro minetur.*

*Annum novum, Quirites
Bifronsq, quadrifronsq,
Patulciusque JANUS
Et Clusius reclusit:
Ævi minister, inquam,
JANUS minister ævi*

Et circulator anni
Annique mensiumque,
Et janitor polorum
Et astrici palati
Decemplicis palati,
Cui consecrarat aram
ABORIGENUM Sacellum,
ANNI NOVI CALENDAS
Feliciter reduxit.

Sub hac recentis anni
Vertentis hujus anni
Redintegratione,
Reciprocatione,
Certatur hinc & inde,
Et hinc & inde strenis,
Et hinc & inde votis.
Videas & hos & istos,
Videas & has & istas
Sibi invicem favere
Sibi invicem vovere:
Ut axis ille cæli
Nimbos pluat rosarum,
Nivesque liliorum,
Et copias Bonorum.

Uxorculas maritis,
Uxorculus maritos,
Et filios Parenti
Et filius Parentes,
Clientulos Patronis
Clientulis Patronos,
Virgunculis Puellos,

Virgunculas Puellis,
Amasios Amicis,
Amasius Amicas,
Mellitulos amores
Mellitulos lepores
Mellitulos favores,
Lubentias, & omnes
Veneresque Gratiasque,
Novo audias sub anno
Certatim & hinc & illinc
Vicatim & hinc & illinc
Sibi invicem vovere,
Vovere, gratulari.

Qui migrat huncce morē
Hunc Christianus Orbis
Ableget ad gigantes
Bicorpores gigantes.

Nec sufficit vovere,
Vovere, gratulari:
Miscere dona votis,
Seque invicem corollis
Seque invicem patellis,
Nummis, monilibusque,
Bullis, tapetibusque
Ligulisque, torquibusque
Et annulis ab auro,
Elenchulis ab auro,
Nitidisque margaritis,
Et sæpe callo aprugno
Et Cæcubo & Falerno
(Quod sanguis est giantū

Ægyptio

Agyptio popello)
Subinde munerari
Sub auspices videtis
Anni novi Calendas.
Quodnam novis Calendis
Suspendit in tabella
In publica tabella
Nobis Poëta munus ?
Qualem Poëta strenam
Nos inter erogabit,
Rogabit hic & ille ?
O literata Pubes,
Gens dedicata Phæbo,
Sororibusque Phæbi,
Quid poscis à Poëta ?
Quid afferat Poëta ?
Saccos araneorum
Saccos inaniarum
Plenissimos Poëtis
Noverca fors reliquit:
Sed Obsequens Poëtis
Sors nuncium remisit.
Mibi dixit ipse Phæbus,
Quo veriora nemo,
Quo certiora nemo
Dixitve dixeritve :
Heliconium cacumen
Nil possidere, præter
Testudines & undas
Lyrasque barbitosque,
Et laureas corollas

sophosque inane censuris.
Quis ergò munus ullum,
Ullam quis ergò strenam
Expectet à Poëta ?
Non omnium est, Quirites,
Fragrantem olere moschū.
Afferre nil Poëtas
Auferre multa, par est:
Multis litetur extis,
Tauris bidentibusque
Litetur, à Poëtis
Litatur absque fumo.
Quid ergò nos Poëta
Inani ANACREONTE
Et vinnulis loquelis,
Sermunculis, sed absque
Penu pecuniâque
Moratur ad tabellam
Ad publicam tabellam ?
Sic musitando dicet
Non nemo forte LECTOR.
O erudita Pubes
Accepta sit voluntas,
Dum deficit facultas.
Dum denegatur aurum
Effascinator orbis,
Mendaxque margaritas
Fortuna denegavit
Mentem tibi manumque
Ex asse devovebo,
Ex asse consecrabo.

In commodum Juventa
Mea commovere Sacra
Pransus-paratus adsum,
Hæc ære cariora
Et cariora gemmis,
Fulvôque cariora
Dona æstimabis auro.

Quod restat, addo Votum:
Anno, Precor, sequente
Vos Faustitas, & omnis
Beatitas, & omnis
Felicitas inundet!
Ut rite copuletis
Amœna Literarum
Connexione Morum!
Sanctissimus Jehova
Vos. Singulos & omnes
Omnesque Singulosque

Beet Perennitate
Beet Æviteritate!
Fiat, Jehova, Fiat!
munusculû, JUVENTUS,
Habes, habesque Votum.
Quid amplius requiris?
Ut munus impleatur,
Ut vota adimpleantur
Scio, unicè requiris.
BONUM piumpq, FACTUM!
Votum impleat Sequester
Sequester ille mundi:
Munusculum Poëta
Implere pro virili
Equisque navibusque
TSCHERNINGIUS stude-
bit.
Quid amplius requiris?

ANACREON

Filio meo recitatus

Cum

M. ANDREAS DANIEL HABICHTHORSTIUS

Buzovio Mecklenburgicus,

Viri Nobilissimi atque Magnifici

DN. PETRI GÖZZII,

Med. D. & Com. Pal. Cæs. Affinis mei

honoratissimi, nomine

Laureâ jam coronandus esset.

Quid denuò negoti
His sedibus negoti

Tscher

Tscherningius facessit?

Sic forsitan hic & ille

Ajus Locutiusque,

Qui nescit hæc, rogabit.

Qui quæritis, quid hisce

Nunc ædibus negoti

Tscherningius facessat,

Parens meus facessat,

Favete, nî molestum,

Scrupum eximam, favete:

Dicam, eximamque scrupû.

Creandus est: quid inde?

Creandus est: quis ergo?

Creandus est, creandus,

Creandus est Poëta,

Poëta jam creandus.

Poëta? sic, Poëta.

At quo modo creandus?

Hæc ipsa, quam videtis,

Nunc in mea videtis,

Mox de manu Parentis

Laurûs corolla cinget

Juvenis-viri capillos.

Ut audiat Poëta,

PŒETA LAUREATUS.

Quod singulare nomen

Virtute promeretur,

Et eruditione.

Quis ille sit, rogatis?

Est

Est ille, quem videtis,
Coràm videtis omnes.
Is ARTIUM MAGISTER.
Is Literarum amator
Sed elegantiorum:
Poësiusque amator,
Poësiusque Cultor
Creandus est Poëta,
PoëTA LAUREATUS.

Quid ergo nos decebit?
Quid rectius? precemur
Ut, quicquid hinc agatur,
Ut, quicquid hinc geretur,
Ut, quicquid hinc canetur,
In gloriam JEHOVÆ,
In patrię salutem,
Ecclesię salutem
Feliciter redundet!

Quę plura! CANDIDATO
Animique corporisque
Prosperissimam salutem
Et SPIRITUM JEHOVÆ
Precamur, & vovemus!

Sic floreat Poëta
Creandus hic Poëta!
Castum gerat Poëtam,
Pium gerat Poëtam!
Cum maxime JEHOVAM
Ter optimum JEHOVAM
Ter maximum JEHOVAM

Vitæ

Vitæ per omne tempus
Lyrâ suâ celebret!
Poëta, qui tenetur
Ineptiis logisque,
Logisque ineptiisque,
Et fœditate spurcâ,
Ejus proterva scripta
Tegantve sulphurata,
Tegantve fracta vitra,
Sombros, araneamve:
Os IMPUDENS vocetur,
COELI LUS vocetur,
Et PUBLICUM, licebit,
TERRÆ VOCS BIDENTAL,
Poëta ne vocetur.

MANTISSA.

An

Herrn Joachim Gerdes /
Auff seine andere Edition des Deutschen
Epicteti.

Was Athen und Rom geschrieben /
Was die klugen Deutschen üben
Ist dir / Gerdes / so bekandt /
Als die Finger in der Hand.

Zwar Du tanst von deinen Sachen
Nicht viel grosse Worte machen /
Führest doch mit grossem Ruhm
Aller Musen Eigenthum.

Mehr verheulet deine Stirne
Als Du trägest im Gehirne.

Wer ein anders von Dir spricht/
Kennet Dich aussen/innen nicht.

Ich kan sagen/ was im Throne
Deines Haupts für Weißheit wohne.
Dann es ist mir dein Verstand
Schon vor langer Zeit bekandt.

Hält mein Urtheil nicht die Wage/
Wol! so ist dein Werck am Tage:
KEBE Ehebansche Mann
Zeigt/ Gemühte kann.

Tafel ist den Schätzen
(a) Zu dem Golde vorzusetzen.
Seine Tafel/die dein fleis
Mehr als Gold zu zieren weis.

(β) Epictet/der Weißheit Seele/
(γ) Nahm zwar an des Leibes Höle/
Aber starck an Geist und Krafft
Prangt mit deiner Wissenschaft.

Beiden hastu neues Leben/
Freund/ durch deine Faust gegeben.
Beide hast du auß der Nacht
Lichter an das Licht gebracht.

Was dem Deutschen war verborgen
Ist entdeckt durch deine Sorgen.
Was im Deutschen nie gelehrt/
Wird im Deutschen nun gehört.

Komm/ ô Alter/komm ô Jugend/
Nole Weißheit hier und Jugend.
Hier da wächst/ hier da grünt/
Was zu gutem Leben dient.

Hier

Hier da kanstu nun an Beibens
Herk und Ohr und Augen weiden:
Dieses Buch zwar klein an sich
(d) Hat doch grosse Krafft für dich.

Hier/den lehren nachzugründen/
Laß dich Tag und Nächte finden:
Dann diß Werck (ô werther Ruhm!)
lehrt ein halbes Christenthum.

Nun so komm und lies' und
Jener kauffte die Lucerne
Und des Epicteten Licht/
Aus behörter Zuversicht.

O der Thor vermeine auff Erden
Auch ein Epictet zu werden/
Wann er nur diß theure Pfand
(e) Epicteten Licht gebrandt.

Besser wirstu für dich wachen/
Lies des Wundermannes Sachen.
Der verlachtet Glück und Spott/
(f) Lehnet sich auff sich/ und Gott.

Und was wil ich weiter dencken
Einen Kranz ihm auszuhengen?
Wo der Wein sein Urtheil spricht/
Darff man keines Kranzes nicht.

(g) Wie von zweyen Antoninen
Deinem Phryger Gunst erschienen/
GERDES/ô mein ander ich/
So umbfah' Gunst auch dich.

Gunst/ die einmahl Dich ergeze
Mit bestand/und höher seze/
Daß Du fort nicht mehr so viel

Sens des Glückes Ballenspiel.

(A) Thu indessen selbst/ und MEZDE/
Was dein Weiser wil/ und ZEJDE.
Dann Exempel haben mehr/
Als der Weisen beste Lehr.

(a) Cebetis aureola illa tabula. Barth. in Rutil.
p. 118 Pinacem Cebetis vocat Tertull. de praescript. c. 39.

(β) Enon illius sanè egregium, & Stoicæ
moralis Pinacis velut anima. Lipsius.

(γ) Epictetus ipse de se in Epigrammatio:

Δελασμένην γενόμεν, ἢ σώμ' ἀνάπηρ
καὶ πενίην ἴρ, ἢ φίλ' ἀθανάτοις.

(δ) Gravis hercule rerum magis pondere, quàm
mole magnus liber & exosculandus, nocturnâ di-
urnâque manu versandus. Remus ad Themist.

(ε) Et nostrâ ætate fuit, & adhuc superest, opi-
nor, qui Stoici Epicteti fictilem lucernam ter mille
drachmis emit. Sperabat enim, opinor, & ille,
si noctu ad eam lucernam legeret, continuo &
Epicteti sapientiam in somnis se adepturum, & si-
milem se fore ADMIRANDI illius SENIS. Lucianus
Dialogo ad indoctum multos libros coëmentem
tom. 2. pag. 767.

(ζ) Ille vir totus à se & à DEO, nihil à fortuna
fuit. Lipsius l. 1. Stoicæ Philos. dissert. ult.

(η) Epictetum duo Antonini (ut alios nunc
nceam) magno in pretio habuere. Themistius Orat.
à laudem Joviani Imp. sub init.

(θ) Epictetus summam totius Philosophiæ his
verbis contineri dicebat: ἀνεχθῆναι ἀπέχθαι. An

An Herrn Johann Risten/

Die schreiben/ ist ein dienst der Freunde Macht und
Es ist gar leicht gethan/ daß einer Zorn erregt/ (heget/
Der viel und lange schweigt : hingegen ich und du/
Wir schreiben/ heischt es Sach/ einander fleißig zu.
Was wird mir/ sprach ich nechst/ mein Rist jek wieder
senden?

Zu der Zeit hatt ich auch ein Wercklein unter Händē
Und setze gleich jezund die letzte Feder 11/
Indem mir deine Faust in meine wa. han.
Wie eben trifft es ein! du Außbund der 2. oeten
Hast meiner Verse zwar und keiner nicht von nöhten/
Doch auff dein edles Werck wo lauter Andacht steckt/
Sprichst du/ gleich als ich jetzt mein eignes außgehect/
Mein Deutsches Armuhrt an: ich soll die schönen lehrē/
Die du den Christen giebst/ mit kurzen Versen ehren?
Wozu mein werther Rist? dein Buch/ dein frommer
fleiß

Berdiener an sich selbst bey allen Ruhm und Preiß/
Und lobt sich sonder mich. Du warlich darffst nicht
dencken

Aus sorgfalt einen Kranz dem Käuffer außzuhenden/
Ein Buch/ ein Sinnen Kind / ein Werck von guter
Zucht/

Von Gott und Ewigkeit/ wie deines / wird gesucht/
Mehr als von einer Stadt. Was soll ich mir verheißē/
Wah meine Mißgeburdt wird aus der Nacht entzeissen?
Nichts mehr als Haß und Reid. Dann wer die War-
heit spricht/

Ist zwar den Göttern lieb/ den Menschen aber nicht

Lit lat nr A

1025

